

testimonium nihil omnino responderi potest. Auctor enim est certus, gravis, doctus, antiquus, sanctus, et sine ulla ambagibus liberum arbitrium docet.

Undecimus sit Magnus Basilius, qui in explicat. Psal. lxi. tractans illud: « Mendaces filii hominum in stateris », « Non licebit (inquit) tibi dicere in die iudicii, non noveram bonum. Proferentur tibi propriae tuae staterae, sufficientem boni et mali discretionem habentes. Nam corporis pondera librae momentis examinamus, quae vero in vita eligenda sunt, libero animae iudicio discernimus. Quod etiam stateram nominavit, propterea quod aequale momentum ad utramque partem capere potest ». Idem in oratione de libero arbitrio: « Nam, inquit, quod in homine situm est liberum arbitrium, in eligendo et non eligendo situm est etc ». Item, in oratione de causa mali. « Cur, inquit, in structura non habemus, ut neque volentibus nobis peccare detur? quia etiam tu famulos, non cum vinctos habes, benevolos putas, sed cum voluntarie ea, quae officii ipsorum sunt, explere videris. Itaque etiam Deo non gratum est, quod coactum est, sed quod ex virtute recte geritur. Virtus autem ex voluntate, non ex necessitate fit. Voluntas vero ex his, quae in nobis sunt, dependet. In nobis autem est liberum arbitrium. »

Arripuit Calvinus voculam illam « coactionem » et inde colligit, non loqui S. Basilium de libertate a necessitate, sed a sola coactione. At sine dubio non recte collegit. Nam explicavit in eodem loco sanctus Basilius, quid per coactionem intellexerit, cum illi per adversativam particulam opposuerit id, quod geritur ex virtute. Et quod geritur ex virtute, esse dixerit id, quod ex voluntate, non ex necessitate fit. Et quod fit ex voluntate, declaraverit esse id, quod in nobis est, quodque ex arbitrii nostri libertate dependet.

Itaque per coactionem, necessitatem intellexit determinantem ad unum. Quod etiam clarius manifestat in eadem oratione, cum dicit: « Soluta enim ab omni necessitate, et voluntariam, ac in sua potestate sitam vitam a conditore adeptam, per hoc ad imaginem Dei creata est ». Adde etiam, quod in duobus prioribus locis a nobis citatis, nulla fit coactionis mentio, sed solius necessitatis, et disertis verbis asseritur libertas in electione boni et mali, par momentum habens in utramque partem.

Duodecimus sit S. Gregorius Nyssenus; Magni Basilii frater. Is in lib. vii. de Philosophia, cap. 2. « Concupiscere (inquit) et non concupiscere, mentiri, et non mentiri, et quaecumque talia, in quibus consistunt virtutis, et vitii opera, haec sunt in nostro libero arbitrio ». Nescio quid hic Calvinus comminisci possit. Nullum enim cavillis locum Gregorius reliquit. Vide etiam quae citavimus libro superiore.

Tertius decimus sit sanctus Gregorius Nazianzenus, qui in carminibus de Christo patiente: « Neque enim (inquit) Deus necessitatem adducet, ut sis bonus, sed in electione, et sententia tua id situm est ». Vide alium locum a nobis citatum libro superiore, ex Apologetico.

Quartus decimus sit Cyrillus Hierosolymitanus, qui Catechesi 4. « Cognosce (inquit) animam esse sui juris, seu voluntatis liberae ». Item infra: « Liberum arbitrium habet anima, et potest quidem Diabolus incitare, cogere autem praeter voluntatem omnino non potest. Subjicit tibi scortationis cogitationes, si vis, probas, si nolis, improbas. Si enim ex necessitate scortareris, cujus gratia gehennam Deus parasset? Nihil apertius dici potuit.

Quintus decimus sit S. Epiphanius, qui in haeresi Phariseorum, quae est ordine decima sexta. « Per id (inquit) quod peccare quisquam possit, et non peccet, et per id, quod possit non peccare, peccet tamen, hoc propter peccata poenam per vindictam pendente, illo propter bene facta laudem reportante, utriusque constituta est differentia ». Et infra: « Itaque (inquit) manifestum, evidens et indubium est, unicuique liberum arbitrium concessum a Deo, qui per seipsum dixerit, si volueritis, et si nolueritis, ut penes hominem sit bene facere, vel prave operari ». Vides, ut sanctus his Pater manifestum, evidens et indubium clamet, quod Calvinus tot libris obscurare conatus est?

Sextus decimus sit Theophilus Alexandrinus. Is enim in epist. 3. Paschali, sic loquitur: « Nec ambigitur quin in utramque partem faciendi, vel non faciendi bona, habeamus liberam facultatem, et oppressis pravis recta nascantur, tuncque virtutum inter se concinit chorus, cum vitiorum in animo fuerit solitudo ». Quid hic objiciat adversarii? Auctor insignis est, quippe qui S. Hieronymum meruit habere interpretem, et sententia tam perspicua, ut nulla ratione obscurari queat.

Septimus decimus S. Joannes Chrysostomus sit, qui homil. 23. in Genesim: « Nonne, inquit, manifestum est, sua quemvis voluntate, vel malitiam, vel virtutem eligere? Nam nisi ita esset, et naturae nostrae pravitas insita esset, neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones accipere oportebat. Verum quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est, ideo et peccantibus supplicia proposita sunt, et bene operantibus retributiones ». Hunc patrem nobis Calvinus libenter concedit, quod ei nimis visus sit in liberi arbitrii viribus praedicandis. At imperitiam suam aperte prodit, cum e tanto numero patrum unum Chrysostomum, quasi novi aliquid introducentem rejicit. Nam si legisset ceteros, numquam ita judicasset. Quid enim Chrysostomus dicit, quod non ante illum Ignatius, Clemens, Justinus, Athenagoras, Irenaeus, Basilius, Cyrillus, Epiphanius, et post eum plurimi dixerint? Deinde, si tam graviter Chrysostomus in libero arbitrio praedicando excessit, cur nulli veterum illum reprehenderunt? cur S. Augustinus gratiae Christi excellentissimus praedicator, hunc ipsum Chrysostomum in libris adversus Julianum, non modo non reprehendit, sed vehementer etiam laudat?

Decimus octavus sit beatus Macharius Aegyptius, qui homil. 15. sic ait: « Caeterum ut semel, et omnino resonet, et permaneat delectus, et arbitrii libertas, quam primitus homini dedit Deus, eapropter dispensatione sua res administrantur, et corporum solutio fit, ut in voluntate hominis situm sit, ad bonum vel malum converti ».

Decimus nonus sit Marcus Eremita, qui in libro de baptismo, ultra medium, ita loquitur: « Haec et similia cum sciat Scriptura in nostra potestate positum esse, ut haec agamus nec ne, propterea non Satanam, neque peccatum Adae, sed nos increpat ». Et infra comparans nos cum Adamo: « Primam, inquit, conceptionem habemus ex dispensatione, quemadmodum et ille, et perinde ac ille pro arbitrio possumus obtemperare, vel non obtemperare ». Sententia horum verborum est, nos tentari ex permissione Dei, sicut eadem permissione tentatus ruit Adam, et sicut ille propter arbitrii libertatem potuit tentatori acquiescere, vel resistere, sic etiam nos propter eandem arbitrii libertatem posse tentationem admittere, vel repellere, quae si Calvinus legisset, forsitan de Chrysostomo aliter judicasset.

TOM. VI.

Vigesimus sit sanctus Cyrillus Alexandrinus, qui in lib. ii. in Joannem, cap. 44. sic ait: « Liberum, inquit, arbitrium hominis his verbis ostendit, qui ad alterutrum secundum animi sui iudicium potest proficisci. Sic enim iuste laudem, si bene agimus, et contraria, si mala committimus, invenimus. » Vide alia loca, quae citavimus in libro superiore.

Vigesimus primus sit Theodoretus, qui Psalm. xlvii. tractans, et explicans illud: « Pluviam voluntariam segregabis, etc. », sic ait: « Pluviam, doctrinae irrigationem vocat, voluntariam autem appellavit, ob liberum arbitrium. Non enim ex necessitate irrigatur aliquis, sed doctrinae acquiescens consequitur gratiam ».

Vigesimus secundus sit Palladius, in epistola ad Lausum, quam praefixit historiae suae de Sanctorum vita, in ea siquidem loquens de eleemosynis: « Neque, inquit, ullo praetextu, quo placeres hominibus, iurejurando obligasses tuam liberam eligendi voluntatem, etc ».

Vigesimus tertius sit beatus Joannes Damascenus. Is enim in lib. ii. de fide, cap. 26: « In nobis, inquit, sunt ea, quorum liberam adepti potestatem sumus et facere, et non facere. » Et infra explicans quae illa sint: « Ea, inquit, quae sequitur laus aut vituperatio, et in quibus praevericatio cadit et lex ».

Vigesimus quartus sit Theophylactus, qui in commentario ad cap. 15. Lucae, sic ait: « Itaque ille qui dedit omnia haec ex aequo, permisit libere ingredi. Nullum enim cogit non volentem. Nam si voluisset nos cogi, non fecisset rationales, et liberi arbitrii ». Neque vero hic auctor intelligit per coactionem vim illam, quae adigit invitos, sed necessitatem determinantem ad unum, ut perspicuum est ex ratione, quam reddit, cum dicit: « Non fecisset rationales, et liberi arbitrii. » Nam bestiae quoque, tametsi rationales non sunt, non coguntur invitae ad sua objecta, sed sponte accurrunt. Et nomen liberi arbitrii, quod iste auctor usurpat, non potest proprie convenire libertati a sola coactione, ut in tertio libro demonstravimus.

Vigesimus quintus sit Euthymius, qui in comment. ad idem cap. xv. Lucae, ita edisserit parabolam filii prodigi: « Substantiae, inquit, partem, quae sibi obveniebat, petivit, hoc est, liberum arbitrium, quod ei ex natura debebatur. Ac si diceret, nolo urgeat me

serviendi necessitas, liberum est enim mihi arbitrium. » Et infra : « Pater ergo candida impertit, vult enim Dominus, ut sibi voluntarie serviamus ».

Est autem hoc loco breviter annotandum, ex sententia horum Patrum, liberum arbitrium comparari substantiæ, quam filius prodigus dissipavit, quoniam peccatores dissipant liberum arbitrium, dum illo male utuntur, non quod illud omnino amittant, sed quod inutiliter exercent. Quomodo dicitur aliquis perdere vitam suam, quam non in bonis operibus insumit. Non enim similitudines in omnibus valent. Denique id solum ex parabola colligunt Patres, Deum permittere, ut qui volunt, peccent, neque eos ad bene agendum ex necessitate compellere.

CAPUT XXVI.

Testimonia Patrum Latinorum, pro libero arbitrio in moralibus.

Primus ex Latinis Tertullianus est. Is in lib. II. contra Marcionem ita loquitur : « Liberum, et sui arbitrii, et suæ potestatis invenio hominem institutum. » Sed ne Calvinus dicat (ut solet) Tertullianum loqui de prima institutione, quæ postea per peccatum sit mutata, audi sequentia. « Hunc statum ejus confirmavit etiam ipsa lex tunc a Deo posita. Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate. Nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non et contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Sic et in posteris legibus creatoris invenias proponentis ante hominem bonum et malum, vitam et mortem. » Et infra non procul a fine : « Interrogat, inquit, Deus quasi incertus, ut et hinc liberi arbitrii probans hominem in causa aut confessionis, aut negationis, ut daret ei locum sponte confitendi delictum, et hoc nomine relevandi. Sicut de Cain sciscitatur, ubinam frater ejus, ut ille haberet potestatem, ex eadem arbitrii libertate sponte negandi delicti, et hoc nomine gravandi. » Et in libro de exhortatione Castitatis non longe ab initio : « Itaque, inquit, cum utrumque ex præceptis ejus didicerimus, quid velit et quid nolit, jam nobis est voluntas eligendi alterum, sicut scriptum est, Ecce posui ante te bonum et malum ».

At non meretur Tertullianus locum inter testes dogmatum Catholicorum, cum in multis magnisque rebus erraverit. Id enim solum est, quod respondere potest Calvinus. Sed facilis responsio est. Nam si solus hæc diceret, nullam ei fidem haberemus, ut qui propriam sectam institerit, sed quod dicit cum omnibus Græcis et Latinis Patribus, non parum valet ad testimonium fidei, quæ vigeat antiquis illis temporibus in Ecclesia. Non errasse autem in hac re Tertullianum, nec fuisse dogma de libertate arbitrii proprium sectæ ipsius, certum est ex eo, quod neque Eusebius in historia, neque Augustinus in libro de hæresibus, neque alius auctor hæc sententiam inter alios Tertulliani errores enumerat.

Secundus sit B. Martyr Cyprianus. Is in lib. I. epist. 3. ad Cornelium : « Dominus, inquit, non increpuit recedentes, aut graviter comminatus est, sed magis conversus ad Apostolos suos dixit : Numquid et vos vultis abire? servans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, et in arbitrio proprio constitutus sibimetipsi vel mortem appetit, vel salutem ». Et in libro de unitate Ecclesiæ : « Fieri vero, inquit, hæc Dominus permittit et patitur, manente propriæ libertatis arbitrio ». Ubi notandum est, non posse hæc detorqueri ad libertatem a coactione, quam solam nobis Calvinus reliquit. Nam etiamsi Deus impediret omnia peccata, adhuc maneret libertas a coactione, sicut ea manet in bestiis, quæ peccare non possunt, sed libertas a necessitate, et vera potestas eligendi bonum et malum, plane tolleretur, nisi Deus peccata permitteret. Atque hoc est, quod Cyprianus dicit, Deum pati, ut peccata fiant, manente propriæ libertatis arbitrio.

Tertius sit Minutius Felix. Is in Octavio ultra medium libri, sic gentiles alloquitur : « Denique de vestro numero carcer exæstuat. Christianus ibi nullus, nisi aut reus suæ religionis, aut profugus. Nec de fato quisquam aut solatium captet, aut excuset, eventum sit sortis fortunæ, mens tamen libera est, et ideo actus hominis, non dignitas judicatur ». Neque vero loquitur de libertate a sola coactione. Nam ea non repugnat fato, cui tamen repugnat libertas a necessitate. Potest enim sponte fieri, id quod fato fit. Non potest autem quod fato fit, non necessario fieri.

Quartus sit Lactantius. Is in lib. IV. divinarum Institutionum, cap. 24. « Qui dat (in-

quit præcepta, amputare debet omnium excusationum vias, ut imponat hominibus parandi necessitatem, non vi aliqua, sed pudore, et tamen libertatem relinquat, ut et præmium sit constitutum parentibus, quia poterant non parere, si vellent, et non parentibus poena, quia poterant parere, si vellent. Quo modo ergo poterit amputari excusatio, nisi ut qui docet, faciat quæ docet, et sit quasi prævius, et manum porrigat secuturo? »

Quintus sit Julius Firmicus. Is in libro de erroribus profanarum religionum, quem ad filios Constantini scripsit, sic loquitur cap. 29 : « Liberum te Deus fecit, in tua manu est, ut aut vivas, aut pereas; quid te per abrupta præcipitas? »

Sextus sit sanctus Hilarius. Is in commentario Psalmi secundi, sic ait : « Unicuique nostrum libertatem vitæ, sensumque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens. » Et infra rationem reddens : « Quid enim (inquit) honoris et præmii bonitatis necessitas mereretur, cum malos non esse, vis quædam nobis conserta non sineret? » Hunc egregium Patrem ultro nobis dat Calvinus, neque intelligit quantum detrimenti causæ suæ faciat, cum illi contrarium se profiteatur, quem non solum Hieronymus et Augustinus, sed etiam integra Synodus Ephesina prima, et alia deinceps Concilia mirifice coluerunt.

Septimus sit Optatus Milevitanus, qui sic loquitur initio libri septimi, adversus Parmenianum : « Quidquid necessitas peccat, non potest magnis viribus accusari. Voluntas habet poenam, necessitas veniam. Homicida scelus potest facere, potest et non facere, adulterium mœchus potest admittere, potest et non admittere, et cætera hujusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium. »

Octavus sit sanctus Ambrosius. Is in lib. I. de Jacob, cap. 3 : « Non est (inquit) quod cuiquam nostram adscribamus culpam, nisi nostræ voluntati. Nemo tenetur ad culpam nisi voluntate propria deflexerit. Voluntarium sibi militem legit Christus, voluntarium sibi servum diabolus auctionatur ». Ad hoc testimonium Calvinus respondet, intelligendum esse de voluntario, quod opponitur coacto, atque invito, non quod opponitur determinato ad unum. Sed fallitur, nam in primis voluntarium, quod solum opponitur coacto, non sufficit ad peccandum, alioqui lupus etiam peccaret cum sponte alienas oves rapit et occidit. Deinde verba illa (nisi voluntate propria deflexerit) non signifi-

cant solum sponte, libereque deflectere, quod etiam pecudi convenire potest, quæ tamen non dicitur propria voluntate deflectere, etiam quando libenter errat, sed significat ex deliberato consilio, atque electione peccare.

Sed quid respondebit Calvinus ad id, quod idem Ambrosius scribit in lib. II. de Cain, cap. 7 : « Non habes in quo necessitatem magis, quam mentem tuam arguas ». Et ad illud, quod habet idem auctor in expositione Psalmi quadagesimi : « Homini dedit eligendi arbitrium, quod sequatur : ante hominem vita et mors, si deliqueris, non natura in culpa est, sed eligentis affectus ». Hæc enim testimonia clariora sunt, quam ut ulla falsa interpretatione depravari queant.

Nonus sit beatus Philastrius, sancti Ambrosii æqualis. Is in libro de hæresibus, capite de Pythonissa : « Ignorant, inquit, quod credentes animæ a fide Christi, deditas jam se impietati faciunt, quia arbitrii sui est omnis homo, quod velit, ut eligat facere permittente Deo. »

Decimus sit beatus Gaudentius Brixianus, Philastrii successor. Is in 3. tract. super Exodum, inquit, « concessa semel voluntatis libertas non auferetur, ne nihil de eo judicare possit, qui liber non fuerit in agendo. » Quo loco illud est observandum, liberum arbitrium primo homini in creatione datum (quod teste Calvino verum fuit liberum arbitrium, etiam a necessitate) numquam auferri, auctore Gaudentio.

Rursus idem auctor in tractatu de Machabæis : « Unam (inquit) Deus elegit arborem de omnibus lignis Paradisi, non utique malam, sed in qua servorum suorum obedientiam pertentaret, ut libertas arbitrii, vel immortalitatis præmium possideret obediens, vel contemnens exciperet mortis interminatæ sententiam. Manducavit homo quia voluit; mandatum non custodivit, quia noluit; morte mulctatur, quia mandatum servare potuit, et non studuit. Igitur si unius arboris fructus, contra Dei mandatum temere a Protoplastis degustatus, mortem generi acquisivit humano, potuit et Machabæis tunc sub lege positus interitum parare mandati divini transgressio, quibus nunc honorem et gloriam præcepti ejus custodia comparavit. » Comparat Gaudentius Machabæos cum Protoplastis, quod isti tentati fuerunt de manducatione ligni scientiæ, illi de manducatione carnis suillæ, quæ non minus eo tempore